

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 74. (Neovidensis 1807. Nro. 73.)

### *Sermo Politicus de Solano Tuberoso.*

Elysium-Meum.-DieMartis 22. Septemb. (Neovid. 8 Sept. 1807.)

#### Sententia:

Maximi momenti fructus terrae, quem novus  
Mundis praebeat, est Solanum Tuberosum,  
quod et exiguo labore colitur, et facile  
multiplicatur.

*Geog. Hist. Stat. Lexicon.*

Summæ agenda sunt grates ligata, soluta-  
que oratione Columbo aut Americo, quod cum  
America simul fructum nutrimento aptissimum  
Solanum utpote Tuberosum detexerit. Sola-  
num! tu satians et famem arcens cibus! tibi  
sacramus hanc gratam memoriam — tibi in-  
quam, eminentissimae, potentissimae, nobi-  
lissimae, et omnibus titulis dignissimæ Plan-  
tæ! cur vero ego te tam liberaliter tot titu-  
lis adficio? Num non continetur in te cibus  
pauperum? verum ut egregii illius Columbi,  
nemo eorum, qui Solano Tuberoso satiantur,  
meminit; ita tempore sublationis Abbatiarum  
nemini in mentem venit, per bonos earun-  
dem Patres, Fratresque terram incultam,  
atque desertam in agros fructiferos conver-  
sam fuisse. — Ingrata posteritas!

Sane maximi momenti fructus terræ, quem  
America produxit. Ast quanta cum sagvinis

profusione venit ejus detectio, et nunc quoque quam horrenda excitantur bella, quorum origo detectioni Americæ tribuitur? si America detecta non fuisset, nunquam olim invidia tam funesta mari bella contra Hispaniam, et Portugalliam excitasset; neque potentia Anglorum adeo crevisset, ut in omnibus maribus dominari potuissent; bellum Americanum haud exortum fuisset, Anglia Provincias suas in America Septentrionali retinisset; revolutio vix excitata sævitia Maurorum in S. Dominico suppressa fuisset; tota denique politicæ ratio longe alium cursum — Deus novit qualem? — sortita fuisset.

Convertamus tantisper oculos a Solano Tuberoso ad Montemvideo.

Expugnatio Mexici et Peru, juxta Voltairum, est prodigium temeritatis, tyrannis vero ibidem exercita, extinctio incolarum S. Dominici aliarumque Insularum. Ut sævitia hæc dedecori est humano generi; ita civilisatio ferarum barbarumque nationum in Paraquaiâ per Jesuitas facta, est Triumphus maximus. Quakeri in Septentrionali, Jesuitæ in meridionali America novum mundo exemplum præbuere, quid religiosa industria possit. Illi feros barbararum gentium mores Pensilvaniæ conterminarum domuere, solo exemplo suo eas docuere, salva earum libertate; nova commoda vitæ, et facilitatem in exequendis laboribus per commercium eis monstrare; hi plus præstitere illis; nam populum in Paraquaiâ degentem in doctrina Christi in-

stituerunt; eos a feritate vitæ abstraxerunt, culturam et industriam induxerunt, regebant denique Provinciam hanc vastam non secus, ac domicilium in Europa viris Religiosis destinatum regi solet.

Paraquaia est Provincia vasta. Hispani oram ad fluvium Plata in suam rede gere potestatem, ibique Buenos Aires condidere, sed multitudinem hominum Sylvas inhabitantium nequaquam sibi subjicere poterant. Eorum tamen subjugatio necessaria fuit, ad struendam viam a Buenos Aires usque ad Paraquam. Jesuitæ itaque hoc opus susceperunt, illudque non armis; ac tyrannide, sed miti doctrina Christi persecuti sunt. Sensim interioria Provinciae ingressi; initio sæculi 17. infantes ad se se pertraxerunt, eos docuere, ac cum iisdem semper ultro processerunt, nullis deterriti difficultatibus; probe scientes: plus inesse religioni animi constantiaeque, quam cupiditati expugnandi.

Pecora per Missionarios ex Europa eo illata; libere dimissa, intra paucos annos sub miti hoc climate mirum in modum multiplicata sunt. Prima impopulatio constabat ex 50 familiis; anno 1760 jam 10000 familiarum numerabantur.

Ideam hujus coloniae unice regimen Spartanorum suppeditare potest. Omnia fuere hoc in regno communia. Qui etsi vicini forent regioni Peru, aurum tamen et argentum non novere. Proprium erat Spastanis obsequi legibus Licurgi; Paraquaiaorum præcipua virtus fuit, obedire legibus et Religioni. Utraque natio ut

pates in nonnullis convenit, Spartani tamen distinguuntur in eo, quod mancipia habuerint, quibus ad excolendos agros utebantur, inter Paracaios nullum discrimen fuit.

Tota Colonia tempus labori impendere debebat, alii excolendis agris, alii opificiis destinabantur. Subministrabantur iis gossypium, lana, linum, aliæque materiæ; quotidie hora 6. matutina labor initium sumebat, 6. vespertina quieti dabatur. Fruges in publicis horreis conservabantur, distribuebanturque inter familias, quod remansit, vendebatur. A singulis Capitibus pendebatur Regi Hispaniæ 1 Pia.; reliqua summa pecuniæ in ornatum Eccl., aliasque res necessarias, quæ in regno desiderabantur, comparandas intumebatur. Omnibus idem victus, nullus altero ditior, aut egentior. Lege statutum fuit, ut nullus peregrinus, ne Hispanus quidem in regnum reciperetur, metuentes, ne alienis moribus et consuetudinibus imbuti, corrumpentur. Deinde erecta sunt armamentaria, tormenta et sclopi aere comparabantur. Incolæ in armis exercebantur. Sæpe enim Brasilienses, Mosquitæ, aliique hostes vi et armis repellendi erant.

Regnum hoc, quod 400 circiter horas in ambitu complectitur, peculiari constitutione regebatur. Jesuitæ nil proprii possidebant, hi barbaram et feram hanc gentem reddidere mitem, non igne ferroque licet; tamen fundatores, Legislatores, ac Ductores magni pupuli existere, qui absque eorum industria, et opera, nunc quoque forte in feritate barbarieque suæ delinesceret.

Anno 1757. 13000 Paraquariorum contra Portugallos in Brasilia arma sumere, quod unum districtum ex Provincia Missionis occupare intenderent. Nunc primo patet, quam gravem errorem tunc Hispani commiserint; si enim Paraquaia in sua priore constitutione foret, facile nunc Angli repelli possent, neque Hispanicis possessionibus exitium minarentur.

Heu quantus saltus a Solano Tuberoso ad Paraquaia! Sed quis nec status Paraquaia idem est, qui fuit olim, et quia moderna bella maritima sunt sequelæ detectionum Americanarum, vel inviti veritatem Lexici amplecti cogimur, dicentis: maximi momenti fructum terrae esse in Europa Solanum Tuberosum.

De rebus bellicis parum veritati consentaneum adduci potest, licet Germaniae Septemtrionalis Ephemerides Literæque privatae multa de Danis et Anglis in Inula Seelandia referant; si tamen ex penitus examinentur, sat clare patet, usque ad 28. Augusti nihil memoria dignum gestum esse.

Sed venti Aequinoctiales mox furorem suum exerere incipient. Si itaque usque ad 15 Septembris nihil memorabile gestum fuerit, Anglis re infecta redeundum erit. Mox igitur res memorabiles exspectandæ sunt. Eousque autem — Patientia.

#### *De Gallia.*

*Parisiis 2. Septemb. (Monit.)* Extractus epistolæ suæ Excellentiae Domini Brûne ad suam Cels. Principem a Neuschatel missæ. 25. Augusti scriptæ. Hac nocte partim ex inspe-

rata adgressione, partim aperta vi Insulam et Fortalitium Däänholm occupavimus, ubi 600 Sveci capti, 14 tormenta et mortaria occupata. In Stralsundia reliquit nobis Rex 500 tormenta, 300000 globorum, 100000 Bombarum seugloborum ferreorum, 2000 centenarios Pyrii pulveris, et magnam copiam ferri.

Legatus Maroccanus 26. mensis proxime elapsi Lugdunum adpulit, et 29. ejusdem adhuc ibidem morabatur.

Hori tradita est per Status Ministros Regnaud, Jaubert, et Real corpori Legislativo novi commercialis codicis pars prima, in 4 Libros divisa; tractatur vero in his de universali Jure commercii, de Jure commercii marini, de iis, qui impares sunt solvendo (Bankeroit) et de Tribunalium Jure, quod cuique in rebus commercii competit. Jam initio Anni 1800 denominaverat Imperator, tunc qua Primus Consul Commissionem, quæ planum hujusmodi libri elaboraret, quod judicio omnium Tribunalium subjectum fuit, hinc factum est, ut in eo multa mutarentur, emendarenturque. Opus hoc a ripa Vistulæ Cæsar dirigebat, altero vero a suo reditu die novæ discussioni substravit, opinio est, opus hoc codicem communem commercii pro tota Europa futurum. Determinantur in hoc et favores, et poenæ. etc.

#### *G e r m a n i a.*

Fama fert ex Holsatia, in Insula Seelandia usque 30. Augusti nihil memorabile accidisse. Generalis Castensciold cum pluribus suorum millibus se univit cum Generale Oxholm, An-

glos retrusit, mox defensiva contra eos acturus.

*Memel 24. Augusti.* — Hic generalis Commissio Liquidationis ordinata est, cui omnes Incolæ Borussici damna, quæ bello — hoc eis per Russos milites illata sunt, exhibere possunt.

Ad priora mala belli accedit lues pecorum, ad quam tollendam jam debiti ordines facti sunt, alia ordinatione præcipitur, ut in eos severe animadvertatur, qui sub prætextu amissorum jugalium pecorum sese omnibus publicis oneribus subtrahere volunt.

*Darmstadt 6. Septembris* nudius tertius sua Majestas Rex Baviaræ per Francofortum horsum advenit, hodie iter suum ultra prosequitur.

Monachii in rebus Feudalibus ii ordines prodire, quibus significatur, omnem Feudalem unionem inter Principem et subditum cessare, ex eodem fundamento nullus Princeps potest esse deinceps vasallus suorum subditorum.

Hinc omnia passiva Feuda, ut sæculari. sata Claustra, non secus ac allodia declarantur. Illi, qui hac ratione certos suos proventus amittunt, compensationem suorum proventuum expectandam habent.

---

In eadem hac Officina Belnayana sequentes præter complures alios, libri venales prostant:

**Szép (Joan.)** Notitia artis Oratoriae veteris et novae. Pars I. Theoretica. Pars II. Practica. 8vo. 3 fl.

**Georch (Elias Jus Patrium Liber I. et II. in 8. 2. fl. 30. xr.**

**Historia Regni Hungariae 1804. 8. maj. 1 fl. 30 xr. Charta scriptoria 2 fl. 15 xr.**

**Elisa, avagy millyennek kell lenni az Asszonyoknak. 8. 1 fl. 30 kr. Charta scriptoria 2 fl.**

**Terzago (Nicol. Episcopi Narniens.) Instructio practica de fideli Sacramenti poenitentiae juxta tenorem Doctrinae Ritualis Romani. Accedit: Philippi Terzago C. E. Narn. Can. Instructio practica de Impedimentis matrimonii, dispensationibus, et earum executionibus, cum aliis adpertinentibus juxta modernam Disciplinam in 8vo. PP. II. a 1 fl. 45 xr.**

**Oraison funèbre de très haute, très puissante et très Excellente Personne Marie Thérèse Caroline Josephine, Impératrice d'Autriche, Reine de Hongrie et de Bohème. in 4to 20 xr.**

**Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luitzianai Pusztákon. Köive 45 kr. Posta papirosra 2 fl. Fényes papirosra 4 fl.**

**Svastics (Csétsényi Ignácz Magyarok' Históriaja, III T. maj. 8. 1805. 5 fl.**